



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

**EPISTULA AD BASILIUM M. HEISER,
ORDINIS FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM
MODERATOREM GENERALEM,
UNDEVICESIMO VOLVENTE SAECULO
EX QUO S. IACOBUS MINOR AP.
GLORIOSO MARTYRIO**

CURSUM VITAE CONSUMMAVIT APOSTOLORUM CHORO* *Dilecte fili,*

salutem et Apostolicam Benedictionem. Apostolorum choro intersertum sidus, praecipuis collucens splendoribus, Sanctus Iacobus Minor, hoc, qui decurrit anno, iure merito christifidelium impensiora in se pietatis studia et publici honoris amantiora ad se convertet obsequia: namque undeviginti expleantur saecula, ex quo, illustri coronatus martyrio, e terrestri vita ad caelum migravit. Laudamus ac probamus consilium quod tu, dilecte fili, sodalesque tui festis ritibus et coetibus huiusmodi saecularia celebrandi sollemnia inivistis, rectissima quidem moti ratione: enimvero urbana Basilica Sanctorum Apostolorum, apud religiosae familiae vestrae domum principem, S. Iacobo Minori et S. Philippo a Decessore Nostro Ioanne III dicata, tanti viri nomine et memoriis venerabilis, natura sua exposcit, ut ibi huiusmodi commemorationis primae obeantur partes. Quod quidem et Nostrae huic Urbi et Ecclesiae universae prospere cedet, cum Sanctorum Apostolorum munimine, praesidio, lunine in praesentiarum, magnum cum instat eventum, scilicet Oecumenicum Concilium Vaticanum secundum, summopere opus esse probe planeque videatur. Ad rem valide id pertinet, ut anniversaria huiusmodi recurrente celebritate, de Sanctissimo Apostolo christianus populus fusius edoceatur, et ideo vita inclita, spectandae res gestae, praeclarus mortis triumphus huius Christi discipuli, de quo sive e Sacris Scripturis, sive e priscae antiquitatis monumentis complura posteris tradita sunt, aperto in lamina collocentur. Verumtamen quam plurimum ex re erit, ut ex ea, quam Iacobus catholica scripsit epistula, locupletissima christianae doctrinae morumque disciplinae documenta hauriantur, et in eam meditationes commentationesque defigantur; licet sane illinc percipere quasi sonum sublimis Dei (1), ut nobis in recte sentiendo norma eniteat et perfectae virtutis excelsa forma constituatur et prostet. Caelesti prorsus lingua sanctissimus Alphaei et Mariae filius praeter alia nos docet fidem sine operibus mortuam putari, operum autem feracem consummari. Cum Sancto Iacobo Minori exhibendis obsequiis addecere optamus, ut excolenda memoria Sancti Philippi Apostoli, ob adnexum in eodem vestro tempio cultura, cohaereat, immo et omnium Apostolorum honestas, dignitas, gloria consono in honore ponantur atque eorum, conspiratis votis, patrocinium auxiliumque invocentur. Nempe ii sunt « Ecclesiarum principes / Belli triumphales duces / Caelestis aulae milites / Et vera mundi lumina » (2). Novistis sane ex Oecumenico Concilio, quod indiximus et mox celebrabimus, huic aetati magnam affulgere spem, et ob id positum iri operam, ut spiritualis renovationis quasi floridum ver explicetur. Quod feliciter continget, si apostolica fides,

pro qua oravit Patrem Christus, sana et pura, splendida et actuosa, et ab insidiis domi forisque coortis tuta, mentes moresque rexit. Deprecantibus igitur Iacobo et Philippo, ceterisque Apostolis in vota vocatis, Pater luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum (3), in proxime sacrosanctam agendam Synodum largitatem supernorum donorum effundat, ut Ecclesia, nova collustrata luce, virtute nova communita, materna salutis munera humano generi, turbidis sedatis procellis, praesentissima conferat. Haec imo e pectore ominati, tibi, dilecte fili, sodalibusque tuis et universis, qui saecularibus sollemnibus in honorem Sancti Iacobi Minoris Apostoli statis intererunt, Apostolicam Benedictionem, ad potiora et meliora assequenda incitamentum, peramanter impertimus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Aprilis, anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quarto.* **IOANNES PP.**

XXIII

*A.A.S., vol. LIV (1962), n. 7, pp. 388-390. (1) Cfr. *Ezech.* 1, 24. (2) Ex Breviario Romano, in festo Apostolorum hymnus ad Matut. (3) Cfr. *Iac.* 1, 17.
